



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Christiana Et Docta Divi Alchimi Aviti Viennensis  
Archiepiscopi, & Claudij Marij Victoris Oratoris  
Massilie[n]sis, poëmata, aliaq[ue] non poenitenda**

**Avitus, Alcimus Ecdicius  
Marius Victor, Claudius**

**Lvgdvni, 1536**

Ioannes Gagneivs Parisinus Doctor Theologus studioso lectori salutem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12149**



## IOANNES GAGNEIVS

Parifinus Doctor Theologus studio  
dioso lectori salutem.



Veteres Lugdunensis Galliae librarías in communem totius rei literariae studiosorumq; utilitatem bonos libros inuestigandi recuperandiq; gratia perscrutatis nobis amice lector, quum in Barbarenfis insule coenobium amici aliquot uenissimus (ea est in medio Arari non procul Lugduno) incidit in manus nostras ex eius loci uetusta sed ante annos aliquot depeculata libraria, poëma doctum & elegans quatuor libris distinctum historiã libri Genesew ad uigesimum usq; caput persequens, Claudij Marij uictoris Massiliensis oratoris titulo inscriptum. Placuit autem libellus tum argumëti dignitate, tum styli grauitate ac nitore, mihiq; grande uisus sum facturus precium operæ si ad hæc Diui Alchimi Auiti opuscula adiungerẽ: quum idẽ prorsus argumentũ tractet uterq; futurusq; sit alter alteri commetarius. Tot uero partim uetustatis iniuria, partim eius qui describerat incuria mendis liber scatebat, ut nullũ plane descriptorẽ inuenire potuerit. Itaq; quum illi describẽdo animũ manumq; coactus adiecissim, necesse habui diuinare plerisq; in locis magis quã legere. Nam quum uix locis non paucis literarum superessent uestigia, multa etiã sic descriptoris culpa immutata essent ut ne sensum quẽ ullum subodorari possimus nobis ex ipsis, quod potuimus ex sacris biblijs & Genesew historia mutuati: qualicunq; nostra minerua temporis iniuriam descriptorumq; sarcire curauimus inertiam. Quæ autẽ ab historica Genesew serie remotiora erãt, (ut plerumq; nõ ineptẽ autor digreditur) ea locis aliquot cõpulsim omisimus, quod quum ea neq; intelligere quispiam possit sed ne legere quidẽ, neq; rursum aliunde sensum uenari liceret, nihil uisa sunt si omitterentur reliquæ  
historiæ



historie nocitura. alioqui quæ ad rem faciebāt, & ad historie perti-  
nebant narrationem, si quando cariosa monumenta legendi neq; lo-  
cus daretur, neq; facultas, factis de integro uersibus aliquot proxime  
ad scripturæ sancte ordinem restituere conati sumus, si quando emē  
datiorem nacti erimus codicē integrum autorem reddituri. Horum  
te lector optime admonitum uoluimus ne nos temere autorem aut mi-  
tilasse crederes aut iminutasse: Existimo autem autorem hunc quem  
Claudij Marij uictoris nomine Barbarenfis insulæ codex exhibuit  
eum esse qui Gennadio, & Ioanni Trithemio inter scriptores eccle-  
siasticos uictorini nomine annumeratur, quum siue hic uictorinus, si-  
ue illic uictor Mafsiliensis rhetor & orator fuisse perhibeatnr.  
Claudius igitur Marius uictor, seu uictorinus Mafsiliensis rhetor &  
orator fuit humanis literis iuxta & diuinis eruditissimus, quāquā  
iam grandi etate nulloq; præceptore diuinis attigit literas. Claruit  
Theodosio & Valentiniāno imperatoribus, sub illa Vandalicæ &  
Alanicæ persecutionis tempora quæadmodum ex quarto ipsius li-  
bro facile est conijcere. Commentarios eum in Genesim ad mortem  
usq; Abrahæ edidisse referunt Gennadius & Trithemius: nos hæc  
tantum reperimus, quæ tu candide lector æquus accipe, & nostram  
operam boni consule: quam si tibi probatum iri intellexerimus: ex-  
pecta propediem rei theologicæ antiquissimos & eruditissimos au-  
tores quāplurimos nostra industria è tenebris in lucem asserendos:  
Bene uale in Christo Iesu.